

iis actibus quibus depositum fidei custoditur: atqui huiusmodi actus non sunt solum definitiones dogmatis revelati, haeresisque condemnationes, sed et ii sunt quibus errores proscribuntur ex quibus damnum fidei oriri potest, oppositaeque veritates statuuntur: quibus textuum dogmaticorum sensus determinatur: ergo in his quoque definiendis infallibilis est Ecclesia. Item infallibilitas est dos necessaria magisterii Ecclesiae; eo ergo se porriget quo ex officio sibi imposito se porrigit auctoritas docendi: atqui haec se extendit quoque ad alias veritates; ergo.

Et re quidem vera id semper creditum est in Ecclesia, in qua semper absolute affirmatum et retentum est Ecclesiae magisterium esse infallibile; in qua licet ea definita sint, quae non erant revelata ut e. g. tria capitula esse haeretica, nihilominus semper postulata est fides ea quae debetur magisterio infallibili. Ecclesia praeterea huiusmodi suis definitionibus assensum mentis interiorum praecipit, eumque necessarium esse decrevit et declaravit Clemens XI (Constit. Vineam Domini) et ex conscientia debere docuit Pius IX locis superius citatis. Atqui auctoritas fallibilis nequit praecipere assensum mentis suis definitionibus qui ex conscientia debeatur, sub poena proinde aeternae damnationis: censeat ergo Ecclesia se in his quoque infallibilem esse.

Speciatim autem quoad textus dogmaticos possunt Ianseniani refelli argumento ad hominem. Nam et ipsi concedunt Ecclesiam in damnandis propositionibus haeticis, e. g. quinque Iansenii, infallibilem esse. Atqui qui id concedit, concedit Ecclesiam falli non posse in determinando sensu propositionis damnatae; nisi enim id verum sit, Ecclesia poterit tanquam haeticam traducere propositionem catholicam, et ita haeresim docere cum propositionem proscribit. Atqui propositio aliqua et libri contextus integer non differunt specie, sed tantum materialiter secundum plus et minus: ergo si infallibiliter determinat Ecclesia sensum propositionis, potest et totius libri determinare infallibiliter sensum. Et sane si potest unius propositionis, poterit et alterius, et ita porro: ex propositionibus autem exurgit liber. Aut dicant nobis Ianseniani quanta debeat esse propositionis magnitudo, ultra quam desinit infallibilitas Ecclesiae.

Diximus Ecclesiam definire infallibiliter posse veritates eas, quarum notitia certa sit necessaria vel *utilis*. Ratio cur hoc addiderimus est quia si notitia certa eius veritatis utilis est pro conservanda integritate dogmatis aut salute animarum collocanda in tuto, vel si pariter ad eundem finem utile est nosse propositionem aliquam falsam esse et reiiciendam, iam adest connexio eius veritatis cum dogmate quatenus conducit ad integritatem eius servandam, et pa-

riter connexio erroris cum dogmate quatenus conduceret ad illud labefactandum. Porro Ecclesia ius habens ad finem, ius habet quoque ad media, h. e. ad id quod est utile ad finem, ideoque et ad definiendam veritatem cuius notitia utilis est ad finem quem intendere debet. Ex demonstratis liquet auctoritatem Ecclesiae, eiusque infallibilitatem in huiusmodi definitionibus esse veritatem revelatam, quamvis obiectum definitum non sit revelatum. Cuiusmodi sit hic actus fidei dicemus in ultima Thesi Tract. sequentis.

Corollarium. Ergo merito Ecclesia ius sibi vindicat censuris aliis praeter censuram haeresis notandi propositiones, quibus fides et morum honestas quomodocumque impetatur.

VI. Doctrinam Ecclesia proponit per signa sensibilia, quae sunt generatim propositiones ex verbis constantes, quorum significatio iam fixa et nota est ac esse debet ut quod Ecclesia dicit valeant assequi homines: quod tamen non impedit quominus Ecclesia nova vocabula composita, cum vis componentium sit cognita, cudere possit; atque, si multiplex sit possibilis vocabuli significatio, determinare sensum quo ab ea accipitur et ab aliis in doctrina fidei accipiendum sit. Porro ex hac necessaria ratione docendi, ut nempe signis Ecclesia uti debeat, et quidem verbis cum definit (quamvis enim et aliis signis doctrina proponi possit, quia tamen definitiones Ecclesiae clarae esse debent ita ut quaestiones dirimant, huiusmodi autem signa non sunt nisi verba, opus est ut cum controversiae in ipsa Ecclesia existunt verbis sententia definitiva Ecclesiae proponatur); atque ex fine definitionis, qui est ut veritas manifestetur hominibus errorque profligetur, consequitur necessario Ecclesiam infallibilem esse in usu formularum quibus doctrinam proponit. Quae infallibilitas in eo est posita, ut verba ab Ecclesia adhibita illud reapse repraesentent quod Ecclesia vult docere, nec fieri possit ut Ecclesia erret in electione et usu huiusmodi signorum; fieri scilicet non possit ut Ecclesia vel contrarium vel diversum extrinsecus per signa dicat ab eo quod concipit et dicere vult. Sane si id contingere posset, inutilis prorsus esset institutio magisterii Ecclesiae eiusque infallibilitatis; nihil enim homines discerent, nec de ulla re certiores fieri possent, cum posita locutione Ecclesiae, adhuc ignorarent quid ex Ecclesiae decreto credendum sibi esset. Vel si homines crederent quidquid Ecclesia docendo manifestaret per verba, cum credere non valerent nisi quod per ea verba intelligerent, frequenter homines a magisterio Ecclesiae ducerentur in errorem. Cum ergo magisterium Ecclesiae sit sensibile, et in suo exercitio sit infallibile, necesse est ut et forma quoque sensibilis, qua veritas repraesentatur, infallibiliter sit vera. Neque haec est alia infallibilitas, sed est ipsa infalli-

bilitas magisterii, quod est essentialiter sociale et sensibile: magisterium enim refertur ad discipulos, et cum referatur ad homines, refertur modo sensibili: unde magisterium Ecclesiae infallibile est magisterium infallibiliter docens homines sensibili modo.

Et re quidem vera *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (Rom. X, 10); professio nempe fidei postulatur, quae sine certis verborum formulis fieri nequit: ea autem vera esse debet et sub magisterii Ecclesiae directione facienda est. Oportet ergo ut Ecclesia immunis sit ab errore in determinatione earumdem formularum.

Unde Apostolus praecipit Timotheo epist. 2^a I, 13. ut *formam habeat sanorum verborum*; atque utrumque requirit *formam nempe sanorum verborum, et custodiam boni depositi*: Formam, inquit, habe sanorum verborum, quae a me audisti, in fide et in dilectione Iesu Christi: bonum depositum custodi per Spiritum S. qui habitat in nobis. Cf. 1^a Tim. VI, 20.

Hinc tot professiones fidei propositae ab Ecclesia cum obligatione illud credendi, quod iis continetur, h. e. per eas secundum usum communem loquendi significatur: hinc sanctio certorum terminorum, quibus Fidei dogma certissime repraesentaretur, ut ὁμοουσιος, θεοτόκος, *transsubstantiatio*, ut haeretici habiti sint, qui eorumdem verum sensum negarent, eosdemque improbant.

Quod de infallibilitate magisterii Ecclesiae in formulis verbalibus professionis Fidei diximus, id et de aliis signis, puta picturis et imaginibus, dicendum est, quibus Ecclesia ordinario et universali magisterio doctrinam fidei repraesentat; est enim eadem ratio.

VII. Demonstravimus Ecclesiae infallibilitatem, et speciatim infallibilitatem activam magisterii Ecclesiae: fieri vero quaestio potest quandam actu habeatur huius infallibilitas, seu quinam sit actus Ecclesiae docentis, qui infallibilis sit. Respondemus Ecclesiam non tantum infallibilem esse cum iudicis partes agens sententia lata quaestiones fidei dirimit, vel sollemni modo doctrinam aliquam tenendam edicit; sed infallibilem quoque esse in ordinario et universali magisterio, quo Pastores omnes simul cum Romano Pontifice docent universam Ecclesiam quoad ea omnia, ad quae Ecclesiae infallibilitas extenditur. Sane infallibilitas competit Ecclesiae: quotiescumque ergo habetur magisterium Ecclesiae in iis omnibus quae ab eo infallibiliter tradi debent, infallibile sit necesse est. Et re quidem vera oportet ut in Ecclesia semper vera fides perseveret, ideoque ut Ecclesia semper infallibilis sit: vera autem fides per continuum ordinarium et universale magisterium custoditur; hoc ergo infallibile sit oportet. Modus autem proponendi doctrinam multiplex esse potest; nec ad essentiam

rei h. e. magisterii infallibilis spectat necessario unus tantum modus qui sollemnior est, cum alio quoque modo vere habeatur magisterium Ecclesiae, quod quatenus tale est necessario infallibile. Huc spectat doctrina Constitutionis dogmaticae *Dei Filius* editae a Pio IX in Sectione 3^a Conc. Vaticani; in qua cap. 3. quod est *De Fide*, statuitur quod « fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in Verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive sollemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur. »

SCHOLION I.

Cum infallibilitas Ecclesiae sit veritas Fidei, ea potest ab Ecclesia definiri, sicut et ceterae veritates. Qua ratione id concipi possit dicemus in Tract. seq. Eademque definire potest se esse unice veram religionem. Id docet nos Pius IX proscripta in Syllabo propositione 21: « Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi, religionem Catholicae Ecclesiae esse unice veram religionem. » Eadem autem ratione id explicatur.

SCHOLION II.

Infallibilitas magisterii est propter Ecclesiam universam, ut unitas sit totius corporis in vera fide. Haec unitas finaliter intenta a Christo nunquam deesse potest Ecclesiae, ut mox videbimus; obtinebit proinde semper consensus universalis in veram fidem. Hinc ex consensu universali omnium fidelium inferre semper licebit quatenus sit veritas revelata, ea nempe quae est obiectum eiusdem universalis consensus. Ita arguit Irenaeus L. I, c. 10. At cum ita probaveris veritatem revelatam ex universali consensu, alia adhuc restat quaestio: quo medio scilicet existat hic universalis consensus in Ecclesia. Ea autem solvitur dicendo existere talem consensum ope magisterii instituti a Christo, cui Spiritus S. assistit. Quocirca provocatio ad universalem Ecclesiae consensum pro stabiliendis dogmatis fidei non adversatur doctrinae infallibilitatis activae magisterii, sed eam potius supponit, ut videre est penes eundem Irenaeum collato loco citato cum c. 3 L. III.

Quaeres an Synagoga fuerit infallibilis? Tenendum est Deum providisse ut vera fides in Ecclesia sua ante Christum, quae in Synagoga potissimum reperiebatur, intacta penes non paucos perseveraret. Verum, ut vidimus, Deus non uno modo id consequi poterat.

Cum fides non esset bonum proprium veteris foederis, dubitamus sane an Deus consuluerit tunc integritati fidei collato dono infallibilitatis auctoritati religiosae illius coetus: sed aliis viis forte consuluit, puta missione prophetarum, oraculis a se datis, ac generatim suavi providentia quae eum ordinem elegit in quo veram fidem non pauci essent semper professuri. Ex verbis autem Deuteronomii XVII, 8. collatis quoque 2° Paralip. XIX, 9. 10. non liquet satis Summum Pontificem constitutum fuisse iudicem in causis fidei, nec obligatio acquiescendi eius iudicio sub poena mortis demonstrat Summi Sacerdotis infallibilitatem, sed solum supremam auctoritatem quae in civili quoque societate locum habet, et merito obedientiam exigit, quaeque suo quodam modo infallibilis est h. e. inappellabilis. Cf. tamen Beccanum *De Iudice controversiarum*, qui partem affirmantem tuetur.

§. XXII.

Verae Christi Ecclesiae proprium est ut sit una, et quidem unitate triplici, nempe unitate communionis, sive sociali, propter quam unica quoque sit Ecclesia: unitate symbolica h. e. professionis fidei tum materiali tum formali: atque unitate rituali, eademque pariter tum materiali tum formali.

I. Unitas quaedam Ecclesiae orta ex eo quod habeat unum fundatorem unumque supremum caput Christum unumque immediatum ac mediatum finem sanctitatem nempe aeternamque beatitudinem unamque revelationem christianam, unitas talis, inquam, a Protestantibus quoque admittitur, qui hoc pacto asserunt Ecclesiam Christi unam esse et unicam. Huiusmodi autem unitas absque ulla unitate sociali existere potest. At unitatem etiam sociale Ecclesiae admittendam esse patet ex superius demonstratis, quibus effecimus Ecclesiam Christi societatem esse eandemque visibilem (cf. §§. I, II, X). Quare de hac re sub hoc generali conceptu non est amplius disputandum. Neque pariter quaestionem habere oportet an Ecclesia Christi sit unica sub aliqua confusa ratione; nemo enim hoc negat. Reliquae tamen sunt adhuc aliae penitiores quaestiones circa determinatum conceptum unitatis ac unicitatis Ecclesiae.

Quaeritur enim 1° qua ratione Ecclesia Christi una et unica esse debeat, an nimirum quatenus omnes Christi fideles unius eiusdemque regiminis auctoritati subesse oporteat, an quatenus satis sit partiales societates christianas alioquin in suo regimine independentes amico foedere copulari. Quaeritur 2° an unitas in fide et ritibus sacris exigit consensum fidelium in omnes veritates revelatas iisque connexas, atque authentice propositas, tum communionem in eosdem

omnes ritus sacros qui sint divinae institutionis, an sufficiat consensus in quasdam veritates revelatas fundamentales, atque communio in quibusdam magis necessariis sacramentis. Quaeritur 3° quodnam sit ex Christi institutione principium necessarium huius unitatis. Quoad 1^{am} quaestionem nota est sententia quorundam recentiorum Protestantium in Anglia: Ecclesiam Christi posse suam tueri unitatem etsi tantum amico foedere uniantur diversae communiones, Romana scilicet, Graeca et Protestans (Cf. Patricium Murray de Ecclesia disp. VI, Sect. 1° n. 57 seq.). Quoad 2^{am} quaestionem constat Protestantes generatim eam mordicus defendisse opinionem, unitatem fidei non violari nisi negatione articulorum fundamentalium, nec requiri communionem nisi in iis ritibus sacris qui ex sola Scriptura certo demonstrantur. Quoad 3^{am} quaestionem tandem patet Protestantes docere principium necessarium efficiens unitatis esse solum Spiritum S. qui omnes docet. De his ergo disputandum est.

II. Iam vero unitas socialis non prodit solum ex identitate finis, mediorum, legum: patet in tot societatibus seu regnis distinctis, quae eundem finem habent, et frequenter easdem leges et media habent vel possunt habere: nec sufficit identitas regis, qui duo distincta regna gubernare potest: sed requiritur conspiratio mutua omnium sociorum sub directione unius regiminis: hoc enim posito, omnes una conspirantes sub una auctoritate, unum corpus, unam societatem constituunt. Non repugnabat Christum tot societates invicem independentes constituere quot e. g. sunt Episcopales Sedes; ast alia in hac hypothese fuisset oeconomia ab eo constituta. Institutio porro Christi est ut universa Ecclesia sua sit una societas, h. e. ut omnes fideles constituent unam societatem, mutuo conspirantes omnes in eundem finem sub auctoritate unius regiminis. Quare haec unitas excludit multipliciter Ecclesiarum, quarum singulae sint completae inter se societates proprium habentes regimen; etiamsi quodam amico foedere inter se uniantur, sicut et societates independentes, retenta propria independentia, possunt uniri: ideoque eo redit unitas Ecclesiae, ut Ecclesia, quae prout societas est, debet esse necessario una, sit etiam unica; hoc nempe pacto, ut sub regimine unius supremae auctoritatis omnes Christi fideles comprehendantur.

Haec unio dicitur quoque unio communionis; communicant enim invicem fideles: dicitur etiam frequenter ab Augustino unio caritatis: verum caritatis nomine non intelligitur immediate virtus proprie dicta theologica, qua proximum propter Deum diligimus; nam haec complectitur eos quoque, qui sunt extra Ecclesiam, et qui proximum odit non ideo desinit esse in Ecclesia: sed intelligitur coordinatio ad ceteros fideles et subordinatio Pastoribus in unam socie-